



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

XIX. An libri nullo, vel gratis conficto authoris nomine editi, sint  
configendi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

## EROTEMA XIX.

*An libri, nullo, vel gratis conficto Autoris nomine editi, sint configendi.*

VIdeti potest perinde esse, suppresso prorsus parentis nomine librum edere; ac adhibito quidem nomine aliquo, sed e mentito. Et sunt sanè duo illa valdè affinia. Nihilominus hoc secundum, præter nominis suppressionem, facum continet, qui nisi interpolatio sit modica, & quam omnes non lusciosi facile deprehendant, vt cum *Theodorus* pro *Dorotheo*, *Philothens* pro *Theophilo*, *Alcunus* pro *Caluino* ponitur; quibusdam, ac nominatim Maldero, opusculo *de restrictionibus*, non videtur abesse à mendacio, quod liquet prorsus exulare, cùm nomen omninò reticetur. Itaque est aliquod inter duo illa discrimen; sed quod in re præsentis, nullum esse videri iure potest. Nam qui nomen e mentitur, verè premit nomen suum. Meritò igitur duo hæc coniungimus.

396.

*Librorum anepigraphorum, vel pseudepigraphorum, iusta damnatio.*

Synodus Tridentina *sess. 4. in decreto de usu, & editione sacrorum librorum*, vetat quosvis libros de rebus sacris, sine nomine Autoris imprimere, vel imprimi facere, illòsve in futurum vendere, aut apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario, accesseritque etiam Superiorum facultas, si autores fuerint Regulares. In euulgatores item, codicum illorum manu duntaxat exaratorum, eandem stringit securim censuræ, si librorum discussionem, & approbationem prædictam non adhibuerint priùs quam euulgentur. Multa transgressoribus constituitur, cum anathematis, tum pecuniaria: quam priùs Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 50.* iis constituerat Typographis, qui librum idonea approbatione non communitum fecissent publici iuris. Et quamquam amissio librorum sic editorum, & publica eorum combustio, quam Concilium Lateranense inflixerat, librum non approbatum edentibus, non intorqueatur à Tridentino, in eos, qui absque nomine autoris excudunt libros de rebus sacris: tamen sufficienter libros configit, & autores damnat, cùm libros eiusmodi distrahi, aut retineri vetat. Cæterùm hoc Concilij interdictum, quod ad libros de rebus sacris arctabatur, instructio sub Pio IV. edita *tit. de impressione librorum*, §. 1. ad omnes planè libros extendit. [Nullus liber, (inquit,) in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat autoris.] Subesse tamen aliquando posse iustam causam reticendi nominis, iudicio Præsidentum probandam, ibidem subditur. Sed hoc rarum admodum, & infrequens est. Vt plurimùm autem, ac ferè semper exprimendum est autoris nomen, vel quod perinde forè statuit Io. Azorius *p. 1. lib. 18. c. 17. q. 3.* nomen certi Collegij, aut Cœnobij, vel Vniuersitatis.

Rationes

397.

Rationes huius edicti, & cur meritò configantur libri incerto parente prodeuntes, non sunt obscuræ: sed illa primaria est, quod facilius ea ratione propinetur incautis, venenum, à quo cauissent, si adhibito legitimo titulo, facus factus non fuisset. Eaque ex causa, iam olim in Ecclesia, libri absque autoris nomine fuere suspecti, vt docent illa Tertulliani *lib. 4. contra Marcion. c. 2.* [Et possem iam hîc gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita autoris.] Nimirum iam ea ætate locum habebat corruptela libros absque autoris nomine, vel appictò falso autore euulgandi, quod fuisse Caluino, & posteris solemniissimum, exemplis omninò multis, demonstrat Feuardenius ad inscriptionem Epistolæ Catholicæ S. Iacobi. Idque cordatioribus plerisque sectariis improbarum docet.

Addenda est ratio, ex debito auctoribus laborum præmio, & honore seruando. Sanè *titulos* librorum idcirco dictos, quòd ob appositum autoris nomen, famam eius tuerentur, scripsit Alciatus *ad tit. ff. de rebus creditis. si certum petatur.* Et quamquam à comptis potiùs librorum capitibus ad modum ornamentorum capitibus Flaminicarum, nomen *tituli* mauult deriuari Magius *lib. 1. miscell. c. 14.* Tamen Alciato suffragatus videtur Varro *lib. 6. de ling. lat.* Accedit non contemnenda ratio ex impedienda permissione librorum. Cautum enim præterea ea ratione est, ne spuria soboles in alienam quandoque familiam, magna cum confusione, & lectorum dispendio irrepant. Quid enim optandum magis, quàm vt grauium Scriptorum panes siliginei, (vt sic dicam cum Sancto Gregorio, humillimè de suis, præ Sancti Augustini scriptis loquente,) admisto surfure minorum operum non contaminentur? Dolemus id non rarò, cum SS. Augustini, Hieronymi, Bernardi, aliorumque lucubrationibus infartas, alias vix legi dignas, certè tantorum virorum legitimis scriptionibus longè impares, deprehendimus. At cur irreperint in alienum nomen spurij partus, non postrema ratio fuit, quod sine autorum nomine prodissent. Succurrit animo, quod de Gulielmo Couentriensi in tabulis Britannicorum Scriptorum tradit Pitsæus, in more illi fuisse, libros fundere sine patre, sine matre, sine genealogia. Vnde manauit error, quo nonnullæ eius scriptiones aliis fortassè quibusdam, vna Sancto Anselmo est adscripta, nempe *Elucidarium*; quam fœdam hallucinationem nuper deteximus. Tantum sanè à legitimis Anselmi fœtibus distat ea lucubratio, quantum propè ab homine simia.

398.

Quare vt rationes cæteræ deessent, ingenti rei literariæ bono consultum est, ea propriij autorum nominis adhibendi indictione, quæ ne supponantur viris magnis geræ scriptionum, confert permultum. Idque spectasse præter cætera, qui operibus quæ edebant, nomina sua inscribebant, docet in hunc modum Autor libri *de oper. Christi Card. in prologo ferè initio.* [Sic & Philosophi, & Doctores antiqui, tractatibus suis nomina prætexuere, breui titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes, & propriæ gloriæ, præposito nomine suo prouidentes, vt integritatem operis, & laboris auctoris, tam styli, quàm personæ in posterum auctoritas conseruaret, & facillè scripturæ subtilitas indicaret, si aliqua manus inuida elegantiae tractatum eliminatorum, pannum rudem insueret: vel nugis suis, quasi sua essent, quæ alius laudabiliter dictasset, furtiua translatione infereret.]

Audi etiam Claudianum Mamertum *lib. 1. de statu Anime cap. 2.* [Primum 399.  
 querere cordi est, quidnam rationis extiterit, ut tantas initurus causas de  
 tamque sublimibus loquutus sciri vitauerit. Si bene conscius disputas, cur  
 nomen occultas? Si agnosci metuis, cur opus prodis? nec dicam, cur ita  
 conscribis? An maiorum super hoc forsitan exempla sectaris? Sed video Pro-  
 phetas, Euangelistas, Apostolos, post etiam authenticorum plurimos tra-  
 ctatores, sua propriis voluminibus nomina prænотasse: alios etiam operum  
 suorum in propriis vocabulis inchoasse principia, ut est illud, *Petrus Apostolus  
 Christi*; & Paulus, nec non alij, atque alij fundatores Ecclesiæ, atque erudi-  
 totes. Videlicet præcauenda fore nonerant Apocryphorum vana, vel noxia.  
 Sed nec sic quidem fallacium temerarium vitari figmenta potuerunt. Hinc  
 est, quod pleraque Pauli, multorumque Sanctorum vocabulis prænotata, sa-  
 nitas fidei nostræ Catholicæ non recipit, quia non lenocinio nominis, operis  
 meritum pensat, sed autorem sibi, styli veritate conciliat. Enimvero illud,  
 quod ista pagina propalatur, eiusdemque autor occultatur, euidens facit iu-  
 dicium, eundem scilicet, à quo sit composita, fuisse damnatum. Nemo enim  
 studet occultari, nisi qui formidat agnosci. Ego tamen satis mirari nequeo,  
 cur in eodem vitandæ noxæ non fuerit stadium, in quo supprimendi nominis  
 potuit esse iudicium.]

Non omitto Petrum Pictaviensem, qui epistola ad Petrum Cluniacensem,  
 excusans, quod nomen suum breui lucubrationi præfixisset, ait in primis se  
 id fecisse iussam ab ipso Petro Cluniacensi, Superiore suo. Deinde [quod sci-  
 ret, multos probatæ Religionis, & humilitatis viros, hoc idem de quibuslibet  
 scriptis suis olim studiosè fecisse. [Quos certè magis, (inquit,) in hoc quantulo-  
 cunque opusculo nostro imitari affecto, quàm quosdam nostri temporis scri-  
 ptores, qui nescio qua vel cautela, vel imperitia, vbiq; nomina sua suppri-  
 munt, incurrentes apocryphorum scriptorum vecordiam, qui siue de falsitate,  
 siue de hæresi, quibus, (ut fertur,) sua omnia fermentabant, redargui fugientes,  
 nusquam propria vocabula prætulerunt. Non ergo me hîc aliquis ante tempus  
 iudicare festinet, sed Deo, & conscientiæ meæ, me dimittat, & ipse, si voluerit,  
 Ouidium sine titulo scribat.]

*Quid in contrarium ex usu Scriptorum Canonicorum,  
 & SS. Patrum, opponi possit.*

Video opponi in contrarium posse, usum cui ægrè inuratur nota. Bona 400.  
 quippè pars librorum veteris Testamenti, non præfixo auctoris nomine, incer-  
 tum est à quo sit conscripta. Nominatimque plerique Psalmi, anonymis pa-  
 rentibus sunt editi. In nouo item Testamento, Apostolus ad Hebræos scribens,  
 nomen suum non præfixit ei scriptioni; improbant enim graues Auctores meri-  
 tissimò, quod aliqui præfixum ibi quoque Pauli nomen, ut semper alibi, exi-  
 stimarunt: ab Interprete autem dimissum esse, siue quod manco exemplari  
 vteretur, siue per humanam incogitantiam. Quæ interpretem vulgatum crimi-  
 nandi audacia, eo securius est repellenda, quod ea taciti auctoris causa, nulli  
 veterum in mentem venit; cum tamen tam multi causam pressi in ea epistola  
 auctoris, scrutati sint quàm diligenter. Sanctus certè Chrysostomus in fronte  
 G g epistolæ

epistola ad Romanos disertè supponit, quod dixi, & à SS. Matthæo, Marco, Ioanne, Luca, pressum nomen suum affirmat: tamen cogitandum relinquit, cur Propheta, & Salomon nomina sua præposuerint scriptioibus suis.

401.

Ad hæc Autor antiquus, cuius insignis liber de operibus Christi cardinalibus inter S. Cypriani opera adscriptus legitur, non modò nomen suum retulit, prudens ac volens, sed etiam pro eo vsu pugnauit. Adscribo partem verantissimæ orationis. [ Sic in capite libri sui quisque auctorem se posuit, vt & stylus auctori, & stylo auctor famularetur, & auctoritate altrinseca, communis gloria muniretur. Hoc virorum illustrium præclara meruerunt ingenia, & per hæc viuax eorum fama, & gloria indelebilis perseuerat. Nos verò, qui vix intelligimus quæ ab eis dicta sunt, sensu, & eloquentia omninò eis impares, si quid aliquando scribimus, indignum titulo iudicamus, ne forè nobilis materia, cuius explanationi studium adhibemus, decoloratam se potius, quàm ornatam nostra præsumptione queratur.]

Non est quidem hic autor, Cyprianus; id enim D. Augustinum non lauisset, adeò sollicitum pro liberando S. Cypriano ab errore de callo hæreticorum Baptismo; qua labe aliquando sorduerat: & abstergi nullo negotio potuisset ex hoc opere, *initio sermonis de Baptismo Christi, & serm. de Pass. Dom. sub finem*; quibus locis, error ille Sancti Cypriani, disertè, & citra ambages, fortiterque conuellitur. Quamuis igitur non sit hic auctor S. Cyprianus, est tamen auctor grauissimus, & lectu dignissimus, cum facundiam, qua valet plurimum, Christianæ pietatis sapore exquisitè condiuerit; nomen autem suum, & suppressit, & supptimi debuisse, conatus est demonstrare.

402.

In eadem nauis est Saluianus, qui tamen egregio operi, quod ad Ecclesiam Catholicam inscribebat, appinxit nomen *Timothei* appellatiuè acceptum, quod magno diuini honoris æstu flagrate se profiteatur in eo opere; tamen agnosci de nomine noluit. At non secus facere, qui extraneam appellationem præfigit operi, quam si nullam adhiberet, præmisimus. Porò non modò consultò nomen suum pressit in ea scriptioe Saluianus, sed pro eo quoque silentio postea pugnauit, scribens ad Salonium Episcopum, suam aliquando discipulum; sic enim habet ferè initio epistolæ eidem operi præfigi solitæ. [ Sed requirit forsitan aliquis, quis ille auctor sit, si Apostolus non est, & vtrum suum libellis ipsis, an alienum nomen inscripserit. Verum est, potest hoc quidem quæri, & rectè quæritur, si inquisitio valet ad aliquem fructum peruenire: cæterum si infructuosa est, quid necesse est vt labore curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine, profectus magis quæritur lectionis, quàm nomen auctoris; & ideo si profectus est in lectione, & habet quisquis ille est, quod potest instruere lecturos quid ei cum vocabulo, quod iuuare non potest curiosos? Ita vt dignissimè huic inquisitori Angelicum illud respondeatur. Patriam quæris, an mercenarium? Cum enim nullus profectus sit in nomine, qui profectum scriptis inuenit, superfluè nomen scriptoris inquirat.]

Rursus vberius sub epistolæ finem, in pleniore tractatione secundi quæsitur, cur scilicet suppressam esset autoris nomen, sic disserit. [ Nunc illud dicimus, quod secundum est; scilicet cur in titulo libellorum non sit nomen autoris. Cuius rei licet vna sit causa maxima, multæ tamen, (vt reor,) esse potuerunt;

æ primùm illa veniens à mandato Dei, quo præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem; ne dum humanæ laudis aurulam quarimus, præmium cæleste perdamus. Ex quo etiam illud est, quod & orari Deus, & donari occultè iubens, vult nos fructum boni operis commendare secreto, quia nulla sit maior fidei deuotio, quàm quæ conscientiam vitat hominum, Deo teste contenta; *nesciat enim* (inquit Saluator,) *manus sinistra quid faciat dextra tua,* & *Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi;* & idè scriptori illi ad subtrahendum ei titulo nomen suum, atque celandum, sufficere hæc tantummodò causa potuit, vt quod in honorem Domini sui fecerat, diuinæ tantùm scientiæ relèruaret, & res commendabilior Deo fieret, quæ famam publicam deuitasset. Sed tamen quod confitendum fuit, præcipuum illud fuit, quia scriptor ille, vt legimus, humilis est in oculis suis, ac vilis sibi exiguum se penitus, atque vltimum putans, & hoc, quod maius est, mira fide, non officio humilitatis assumptæ, sed iudicij simplicis veritate; vnde est, quod iure se etiam ab aliis habendum putans, qualis à semetipso, rectè libellis suis alienum nomen inferuit; scilicet ne authoritatem salubribus scriptis personæ suæ paruitas derogaret. Omnia enim admodum dicta tanti existimantur, quantus est ille, qui dixit: siquidem tam imbecilla sunt iudicia huius temporis, ac penè tam nulla, vt hi qui legunt, non tam considerent quid legant, quàm cuius legant; nec tam dictionis vim, atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem: idcirco igitur scriptor ille, abscondi, & latitare omnibus modis voluit, ne scripta, quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen Autoris. Habet itaque quisquis ille est, qui requirit cur alienum nomen assumptum sit.]

Quod factum à Saluiano videmus, æquè ab aliis Patribus vsurpatum est. 403.  
Nam Vincentius Lyrinensis, aureum commonitorium edidit nomine *Peregrini*, vt Autor est Gennadius in *Vincentio*, & ex fronte quoque Commonitorij discimus. Sulpitius *epistola ad Desiderium*, præfixa libro de vita Sancti Martini, rogat vt is liber suppresso autoris nomine edatur. [Quòd, (inquit,) & fidei valeat, titulum frontis rade, vt muta sit pagina; & quod sufficit loquatur materia, non loquatur Autorem.] Raymundus Iordani, sub *Idiota* obscurissimo nomine hætenus latuit. Richardus à Sancto Laurentio, *prologo secundo* in opus suum de Beata Maria, profitetur, se consultò nomen suum reticuisse. Et inde factum est, vt illud opus nomine *Marialis*, *Alberti Magni*, diu sit vulgatum. Gulielmus Conuentriensis Carmelita, referente *Pisæo*, benè multos libros edidit suppresso suo nomine. Idem factum à Thoma Moro, liquet ex Stapletono in *Mori vita cap. 6.* Homerum à presso vbique suo nomine celebrat Dio Chrysoft. *orat. 36.*

Quid quòd nonnulli Patres, opera sua vulgarunt nomine anteriorum Patrum grauius, quod multo plus est, quàm vel nomen reticere, vel nomen nulli proprium apponere? Sic vt nonnulla exempla superiùs diffusè expensa, hîc compendio repræsentem, Sanctus Anastasius Sinaita, *cap. 10. ιδρυσ pag. 193.* Tomum dogmaticum de Incarnatione à se conscriptum sub nomine S. Flauiani, vltiò fatetur. Item S. Vigilus *lib. 5. contra Eutychem, non longè à principio*, ait, se librum nomine Sancti Athanasij edidisse contra Arrium, Sabellium,

236 *Quid de libris Autoris anonymi, vel eментiti.*

Sabellium, & Photinum, qui inter D. Athanasij opera sub nomine *disputationis Laodiceae habitae*, perseverat. Inter D. Augustini opera circumferuntur sermones *ad fratres in Eremo*, quos eментito tanti Patris nomine ab alio editos esse, videtur debere esse extra dubium: non tamen damnantur illi sermones; imò in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio, allegantur cum laude. Non pauci nomen Flauij Dextri, appictum gratis ei Chronico, quod nuper eius nomine prodiit, censuerunt. Liber tamen ille liberè teritur omnium manibus. Primus liber, qui à Societate I E S V prodiit, (nempè Canisij Catechismus,) primùm prodiit absque Authoris nomine, vt scribit Raderus in *Canisio lib. 5. cap. 6.* Similium exemplorum nullibi est parcitas, & in tractatione de multiplici suppositione librorum, concessimus pleraque. Videbimur ergo seuerius agere, si libros anepigraphos, vel pseudepigraphos, eo nomine configendos putemus, quod autoris nomine careant, vel confictum præferant.

*Elisa, quæ ex scripturis anepigraphis præferebantur.*

405. His argumentis planè euincitur, causas subesse posse, cur interdum autoris suppressio, libro sit innoxia: id quod etiam in regulis Pij IV. iussu editis, statui vidimus, & habemus exemplum librorum sacrorum plurimorum, quibus ex iusta causa non est adscriptum nomen Authoris. v. g. Moses Genesi nomen suum non præfixit, vt constaret opus illud Dei esse, tanquam Autoris; Mosem verò scribam duntaxat fuisse, vt ratiocinatur Anastasius *lib. 2. in Hexaëm. sub finem.* Et idem est de aliis libris absque Authoris nomine editis, in sacrum Canonem relatis. Eadem ratio habere locum potest circa authores Psalmorum, qui carent authoris nomine; significare enim voluit eo de autoribus silentio, Spiritus sanctus, se esse autorem sacrarum scripturum. Id quod etiam aliquando in actu signato exprimit; siue dicendo librum sacrum esse non Matthæi, vel Lucae, sed secundum Matthæum, & Lucam; siue dicendo librum esse conscriptum inspirante Deo: vt cum in plerisque Psalmis habetur, *Psalmus ipsi David*; id est, diuinitus inspiratus, atque concreditus, vt obseruat Genebr. Quam etiam ob causam, vt notat S. Gregor. *hom. 2. in Ezech.* ad illud, *Et vidi, Et ecce ventus*, voluit Spiritus sanctus, vt scriptor Sacer interdum de se ipso, vt de tertia persona, & extranea loqueretur; ad indicandum germanum libri sacri autorem, esse Spiritum ipsum sanctum, non autem Canonicum Scriptorem. Et quamquam neque Scriptor sacer semper loquatur in tertia persona, neque semper reticeat nomen suum, tamen benè prouisum est aliquando ita accidere, vt is quem proposui, effectus bonus obtineretur: quamquam, quod attinet ad Psalmos, quorum autor est anonymus, S. Hilarius in *Prologo Psalmorum*, arbitratur eos esse autoris, cuius nomen proximè præcessit in antecedente quopiam Psalmo: sed quia reclamant non pauci, nec vacat id excutere, retineamus sanè rationem propositam.

406. Apostolus aliam ob causam, nimirum, quòd se Iudæis exosum sciret, & tanquam Mosaicae legis infestum hostem haberi, acturus cum eis, prudenter subtrahit nomen suum, ne odio scriptoris, à scriptione abhorrerent, & doctrinae subsidium

subsidium quod illis porrigebat, nauseantibus & fastidientibus non prodesset. Quod est Clementis Alexandrini apud Eusebium 6. *histor. cap. 18.* S. Hieronymi *lib. de Scripturis, in Paulo*, Sancti Augustini *in expositione inchoata epistola ad Rom.* aliorumque de suppresso in ea epistola Pauli nomine iudicium, sanè verisimile. Ego illud exprimo verbis Chrylostomi *tom. 5. Græc. homil. 61.* [Cum ad alios quidem omnes scribit, nomen suum epistolarum exordio præfigit: ad Hebræos autem mittens literas, nihil tale fecit, sed simpliciter non exprimens quis esset, vel ad quos scriberet, ut mos illius erat, ita demùm incepit, *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus nostris.* Et verò Pauli sapientiæ hoc fuit. Ne enim in consortium odij venirent, tanquam larua quadam, nominis suppressione se ipsum occultans, ita clam cohortationis ipsis adhibet medicinam. Cum enim odio prosequimur quempiam, quamvis aliquid rectum dicat, non propenso animo, neque cum voluptate, quæ ab eo dicuntur, excipimus. Quod ipsum ne tum quoque accideret, suum nomen ex epistola sustulit, ut nullum epistolæ obiiceretur impedimentum, quominus posset audiri. Neque enim Iudæi tantum qui erant increduli, sed & illi ipsi, qui crediderant, oderant illum & auersabantur.]

Nec malè addunt aliqui recentiores, cum se Saulus iam Paulus, Saulum dicere noller, ne resumpro Iudaico, & abiecto Romano nomine, apud Christianos ex Ethnicismo conuersos quasi Iudaizans, & ad vomirum canis more reuersus malè audiret: nec expedire etiam censeret, ut se Paulum apud Hebræos diceret, quòd ea nominis mutatio ingesta, calcata, (ut tulerat calumnia,) legis Mosaicæ memoriam videretur renouatura, & in aliquorum fortassis exacerbationem cessura, maluisse Paulum abstinere sui nominis præfixione. Proferturque etiam alia ratio ex Clemente Alexandrino apud Eusebium 6. *histor. cap. 11.* & ex S. Hieronymo *in cap. primum ad Galat. ferè initio*, circa titulum, nec non etiam ex Theodoretò, qui Paulum, solemnem epistolam suarum Epigraphem in hac prætermisisse consuerunt, quod scribens ad Hebræos, quorum Apostolum, (ut hîc vocat,) vel, (ut alibi loquitur,) ministrum Circumcisionis agnoscebat Christum ipsum, refugerit præ humilitate, dicere se, ut alibi semper in epistolarum titulo, *Paulum Apostolum.*

*Cur aliqui Patres nomina sua presserint, aut aliena  
adhibuerint.*

Similiter Author operis *de operibus Christi cardinalibus*, ne nominis sui tenuitate, (ut præ humilitate sentiebat,) vilesceret tractatio argumenti dignitate nobilis; maluit autoris nomine vacuum prodire. Nec dissimiliter pro eminentia operis sui inscriptione differuit Saluianus, addita aculeatæ lucubrationis apud permultos subsequutura offensione, quam æquum erat in authorem non retorqueri; ut proinde satius fuerit nomen eius subticere. Iisdem rationibus, ac præsertim spe fructus maioris ex scriptione hauriendi, permotos esse reliquos Patres, qui nomen suum dissimularunt, vel alieno nomine prænotarunt libros suos, exploratum esse debet. Quòd si de Pseudo-

gustino ad Eremitas fermocinante idem statuendum censeat æquus lector, eum scilicet, vt plus prodesset, ex Augustini persona declamitare scripto voluisse, non abnuam. Idiota verò mentem humillimam, appellatio ipsa monstrat; vt non sit pro aliis suppressi per eum nominis causis conquirendis laborandum. Chronici Flauij Dextri anceps est causa, de qua in præsentia pronunciate non placet. Sed si victoria esset penes eos, qui huiusmodi Chronicon nouitium esse contendunt, & falsò adscriptum Flauio Dextro, non esset laborandum in causis speciosi nominis ei Chronico præfixi, cum id ex vanissima vanitate flagitiosè susceptum esse, non esset futurum dubiam.

408.

Quare maneat, libros nullo, vel e mentito auctoris nomine editos, nisi sub sit idonea suppressionis illius causa maioribus probata, confixioni iure patere, etiam si boni, & innocui essent. Et sanè suppetit ipsius Auctoris præiudicium aduersus librum suum, cui nomen veri auctoris præfigere non est ausus. Expendatur probrum libri quod non erigit frontem. Eo ipso enim innuitur esse reprobum, quia veritas, vt alibi plenè trado, non amat latere, sed gestit erumpere, ac manifestari. Duntaxat falsitas & malitia, auct celari, vt rectè assumit Tertullianus, *cap. 1. Apolog.* Iis ipsis, qui enormia patrarunt vt factis, premi ac occultari commertis, respondeat pœna, repensã sæpè est publico decreto suppressio nominis, vt illi templi Ephesij magnificentissimi incendiario; cum factus esset se tantum facinus aggressum, vt inde nominis immortalitatem assequeretur. Decreto enim publico cautum est, ne eius nomen vsquam consignaretur. Quanquam nescio vnde innotuit, nomen ei fuisse *Herostrato*. Tyberij item decreto, artifex, vitri non fragilis inuentor, æterna nominis suppressione multatus est, vt scribit Dio *lib. 57.* quia eius inuentum iudicatum est perniciosum; quippè pretia auro & argento, ac quibusuis metalis detracturum, vt Plinius notauit *lib. 36. cap. 26.* Quæ ergo improuidentia est, vltro libro suo accersere, quod pro maxima pœna valdè noxiis decreto publico irrogatur, nempe vt nomen auctoris oblitteretur, nec permânet ad posteros eius memoria? Qui itaque sic statuit de suo opere, non potest ægrè ferre quod ei publica sententia suffragetur, & tenebris damnet librum quem auctor sub sipario latens, sibi censet probrosum; & eo ipso, indignum luce publica pronunciat.

---

 EROTEMA XX.

*An eo tantum nomine, quòd liber quispiam  
nouam doctrinam contineat,  
sit configendus.*

409.

Colloco in hac serie, libros ex sola nouitate suspectos, quia ex se possunt & innoxij, & boni esse. Considerandum ergo est, an ob solam nouitatem,